



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Thomae Coniers. n. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

esset; sed lucis huius vsuram parienti mors eripuit priusquam fetus formari ad lucem posset; quanquam octogenario seni non tam animi, quam anni defuere, quibus aliorum diligentia in simili opere iam euulgatae colophonem imponeret.

XX. In indicibus Belgij quatuor alios reperio operam vitamque cum laude doctrinae & pietatis Duaci posuisse: Nam *Rogerus Bolbett*. Staffordiensis, cum post decem fere annos in Societate expletos, se obsequio infectorum in ea Ciuitate deuouisset, & magna cum animi voluptate Sacrosanctam Eucharistiam atque extremam vnctionem morientibus administraret, tunc tandem ipse correptus est. Tum ubi in brachiis sparsas aspexit contagionis notas, eas tanquam Dei in se beneuolentiae pignora exosculans, munitus ad iter extremum Ecclesiae Sacramentis, post vota Religionis pie repetita, Sanctissimum *Iesu* nomen inclamans, animam Creatori reddidit, secundo Septembris, Anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi. tantam apud omnes opinionem Sanctitatis, ut Ciues Duaceni monumentum quod solo extaret, sumptu communi, ad futuram eius memoriam, erigere cogitarent. *Ioannes vero Burstardus* Oxoniensis anno aetatis vndeagesimo admissus Louanij, peractis probationibus Metaphysicam explicandam confestim accepit; deinde emensis feliciter Theologiae spatiis, Duacum translatus, Philosophiam ab ovo exorsus est tradere; sed mors praecox ingenium intulit Caelo, antequam vel annum in ea tradenda disciplina, vel aetatis suae vigesimum septimum expleret.

Thomas Martialis Sacerdos, Philosophiae & Theologiae laurea decorus, Societate inuit Louanij. Tum Duaci nouem annos Philosophis elucidandis infumpfit; Romam deinde vocatus ad munus Confessarij in Anglorum contubernio, non diu super fuit, nam morbo oppressus, cum ad opportuniorem curationis remedia in Collegium Romanum fuisset delatus, emissa quatuor votorum Professione, pie animam efflauit, vndecimo calendas Augusti, Anni 89. supra sesquimillesimum Fertur moriens cum Crucifixi complecteretur effigiem frequenter in haec verba prorupisse: *Quid sunt, o bone Iesu, haec vulnera tua, nisi peccata mea?* Denique *Ioannes Columbus* Deuonienensis, anno vigesimo sexto aetatis ingressus Societatem Louanij, Duaci deinde confessionibus Anglorum in Seminario praefectus est, & habuit de Superiori loco conciones ad annum octogesimum secundum, quo diem clausit extremum, decem in Societate annis expletis.

XXI. Vidimus etiam Duaci Patrem *Thomam Coniers*, qui post acceptam Philosophiae lauream, in Societatem cooptatus Tornaci, anno octogesimo quarto; post humaniores literas, logicamque Duaci traditam; post Lendium, Bapalmiamque, in finibus Gallorum, improbo labore excultum; postque alia Societatis munia, tum Romae anno sexcentesimo, tum deinde in Belgio obita, *Dionanti* Eburonum demum fixit sedem Apostolico ritu villas pagorumque & vastam Arduennae solitudinem percurrens, egentissimorumque hominum sitientes animas Christianae doctrinae riuus tam indefesso labore irrigans,

Rogerus
Bolbett.

vid. Zac
chinum p.
3. Historiae
Societatis
l. 8. n. 228.

Ioannes
Burstard.

Catal. Lo
uanij A. 70
& Duaceni.
An. 76.

Thomas
Martialis
Catal. Au-
domarense
An. 84.

Ioannes
Columbus

Thomas
Conuers.

Bartolo-
meus Fizen
in floribus
Ao. 1607.

gans, vt magnum Ciues omnes inceserit desiderium socios in eam urbem aduocandi, quorum opera perpetuarentur fructus quos Patris *Thomæ* cultura produxerat. Pridem apud illos sub Laynio increbuerat Societatis existimatio, Henrico Somalio sedulam nauante operam; Scholas etiam hic aperuerat, formam affectans Collegij, at Laynio inconsulto. Annis deinde plus decem cum turbulentorum temporum difficultate colluctans ipsa sua tenuitate desierat, donec Thomæ feruore nouis excitatis ignibus desiderium rursus exarsit homines Societatis aduocandi fouendique: Missi Leodio primum aliqui qui agrum per interualla excolerent; tum firmior data statio; quæ circa huius seculi annum duodecimum excreuit in Collegium. Condito Collegio, Thomas in omnem latè Prouinciã excurrit: nam ab Hannoniæ finibus ad usque Germanorum limites insigni operæ pretio se diffudit, omnis conditionis homines complexus Nullos itinerum amfractus refugio; per auia montium atque sylvarum, per niues densamque grandinem, per calores, æstuantemque solem, rudiorum populorum euocate deliciae erant. Tum ardore dicendi pro concione ad altiora commoto, vel aures confitenti præbebat, vel Catechesin de plano explicabat horas occupatis commodas aucupans ante ortum vel post occasum diei. *Basiliæ*, urbe mediâ ferme Arduenna, non minus olim neglecto animarum cultu, quàm sterilitate soli miserabili, parem locauit operam, pari cum fructu; tantæque fuit erga illum populi veneratio, vt quacunque die vel hora datum esset signum, relictis familiaribus negotiis ad eum audiendum conflueret; Cumque ea essent tempora vt impetrari non posset à Societate eo loco Collegium, quemadmodum summis votis expetebatur, auctor fuit magistratui vt ex alio ordine Religiosos homines accerseret qui in concepto pietatis ardore Ciuitatem & vicina fouerent. Eodem consilio honestas Virgines Cælibatum amplexas & spiritualium rerum ipso magistro non imperitas, Dionanto educatas, scholis præfecit puellarum, quò honestis moribus & Christianis præceptis à teneris imbutæ, familiis deinde liberisque cum virtute præssent. Nihilque illi erat difficile cui in omnium animos imperium conciliaret innata integritas, atque ardens diuinæ gloriæ studium, cum insigni modestia, atque animi demissione coniunctum. In veste paupertatem coluit, in cibo parcimoniam, in omni vita orationem: Nam & in itinere ferè precabatur assidue, & cruces per agros obuias, atque arboribus affixas Sanctorum imagines pronus in terram venerabatur, se suosque Deo & Sanctorum hominum tutelæ commendans. In his cum ad annum ætatis septuagesimum 7. Societatis quinquagesimum tertium durasset, redeuntem per festa natalitia ex agris morbus corripuit, qui ei fuit extremus. Cum primum ingressus est Tornaci Tyrocinium tam acerbis renum ac vesicæ doloribus cepit affligi, vt sine Societatis incommodo captis insistere non posse medici pronuntiarint: Iussus est ergo Societatem relinquere: At ille magno ardore animi optimam Dei parentem precatus, omnem mali vim ita sensit extinctam, vt sanitate (cuius ope uti Religiosè credidit) recepta, Societatem repetierit: